

1426
Postmodum
Legatus
Philippi
Mediolanensis
Ducis.

que hunc senatum miserit, sollicite audio a Florentinis, rerum omnium curatoribus, tota urbe requiri: quibus ne non semper indulgeatur, nostræ legationis causam breviter explicabo, etsi certo scio, eam ipsam ubi audiverint, parum illis jucunditatis allaturam. Non igitur ad motus ullos concitandos, non ad jus ullum divinum aut humanum revertendum, Patres conscripti, venimus: has illis insitas a natura artes Philippus reliquit. Ei nanque curæ est, studia a majoribus tradita retinere, vestram amicitiam, societatem, benivolentiam, omni officio & observantia colere. Et quando ita Dei Optimi Maximi benignitate contigit, ut intam perpetua animorum conjunctione, nullas novas inter vos & illum aut pacis aut foederis leges renovari oporteat, concedant Florentini, & si bona eorum venia fieri potest, liceat Philippo ex suo majorumque suorum instituto te, Princeps Serenissime, hos amantissimos Patres, totam civitatem per legatos amice salutare; liceat nobis dicere: Valet Venetæ Reipublicæ Philippus, valet dignitati & amplitudini vestre Mediolanensem Dux, Veneti nominis amicissimus. Qui quoniam vestra erga se benivolentia pro foederibus, societate, amicitia, communes vobis suos omnes dicit successus, communem gratulationem: fractos maleque habitos Florentinos hostes nunciat, qui temerario consilio, perditaque audacia se periculoſo (*nisi celeriter occurrisset*) implicaverant bello. Hæc, Patres sapientissimi, hæc erat nostræ legationis summa, hoc erat illud, quapropter Philippus nos ad conspectum vestrum venire voluit. Cæterum, quia gentem hanc ad sermonis lenocinium natam, miseraibili querimonia non in senatu solum, sed per areas & burgis urbis compita deplorare accepimus, bellum, quo ad hunc diem male habiti sunt, Philippi culpa esse contrarium, id ille libens divino judicio vestro cognoscendum relinquit: nullas conditiones quæ a vobis praescribantur, recusaturus: in ipso tribunalis vestri campo, si libet, se Florentini tueantur, neque vana hæc & inaudita configant mendacia, quibus vanissimi homines student gravitatem vestram, vestram constantiam, contra vetustum jus amicitie,

con-